



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 99. An lex humana possit præcipere vel prohibere actum externum in ordine ad actum internum, sive respiciendo internum tanquam finem, ad quem legislator ordinet externum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

Q. 98. *An lex humana possit saltem indirectè præcipere vel prohibere actus merè internos. R.*

§. I. Hoc dicitur præcipi indirectè, quod non præcipitur in se, neque est aliqua pars illius, cuius positio præcipitur, ideo tamen censetur præcipi, quia est absolutè necessarium ad hoc, ut ponatur id, quod præcipitur, v. g. si alicui præcipiatur adoratio Dei, indirectè præcipitur cognitio & æstimatio Dei, sine quibus non potest esse adoratio, si præcipiatur auditio Missæ, indirectè præcipitur intentio audiendi, sine qua non censetur poni auditio præcepta: è contrà hoc dicitur præcipi directè, quod non ratione alterius sed ratione sui præcipitur, ita ut illius positio sit hoc, in quod lex tendit.

§. II. Lex humana potest saltem indirectè præcipere & prohibere actus merè internos, quia potest præcipere actum externum, v. g. adorationem Dei, auditionem Missæ &c., ad quorum positionem necessarii sunt actus merè interni, uti jam dictum est, ergo.

Q. 99. *An lex humana possit præcipere vel prohibere actum externum in ordine ad actum internum, sive respiciendo internum tanquam finem, ad quem legislator ordinat externum. R.*

§. I. Negat *Caram.*, quia cùm media specificentur à fine, qui non habet potestatem in finem, ad quem diriguntur media, etiam non habet potestatem in media, sed lex humana non habet potestatem in actum internum, qui hìc esset finis, ergo nec habet potestatem in actus externos, qui supponuntur esse media ad internos; consequenter, inquit *Caram.*, pater non poterit prohibere filio ingressum in aliquam domum, eo fine, ut filius non habeat delectationes internas, nec Superior ideo poterit subdito religioso prohibere lectionem libri turpis, quia prohibere



hibere delectationes internas est supra potestatem humanam.

645 §. II. Potest lex humana præcipere vel prohibere actum externum in ordine ad internum, & consequenter præcepta Patris & Superioris jam insinuada valent. ita *Carden.* in I. crisi d. 25. c. 2. & seqq. *Probatur*, nam licet actus externus ordinatus ad internum, ab hoc etiam specificetur, non ideo est vel fit actus internus, sed tantum respicit eum, in se autem est & manet actus externus, ergo non est, cui lex humana eum non possit præcipere, etiam dato, quod lex humana non possit directè præcipere ullos actus internos: id ipsum evincit variis argumentis ex *Tridentino* & ratione desumptis *Carden.* c. 3. & seqq., nam *Trid.* Sess. 22. c. 5 expressè præcipit ritus Missæ tanquam adminicula ad rerum divinarum meditationem; item præcipit catecheses, prohibet libros hæreticos, ut retineatur fides interna, imò probabile est, quod Ecclesia in omnibus suis præceptis intendat perfectionem Christianam, quæ in perfecta charitate interna consistit, ergo. Atque ex his patet, quid dicendum sit ad argumentum *Caramuelis*, nam si major esset vera, simili modo argumentarer, Ecclesia non habet potestatem circa jus divinum Sacramentale, sed ea, quæ præcipit propter jus divinum Sacramentale promovendum, specificantur à jure divino Sacramentali tanquam à fine, ergo ad ea Ecclesia non habet potestatem, consequenter præcipere non potest ceremonias & ritus in administratione Sacramentorum: item, qui non habet potestatem in finem, nec habet in media, sed Ecclesia non habet potestatem in essentiam v. g. sacrificii, ergo nec habet in media illud dignè offerendi, adhibendi certos ritus, vestes, orationes, &c., & consequenter ista non potest præcipere, quod dicere est absurdum. Q. 100.